



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XVI. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Victoria, quæ semper in Protectione magnæ Dei Matris vixisti, ora pro me, ut ejusdem tutelam merear; contingat mihi tuis precibus id beneficii, ut unus è numero sim Mariam amantium, & ut amantis nomen etiam opeere tuear. O Sanctissima DEI, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Aliquid de immaculata Virginis conceptione hodie legere conabor.

Virgo Maria sine Tyranno concupiscentiæ peccati originalis fuit, quia sine eo concepta est. S. Bernard. Sen. to. 1. ser. 53.

Quæstio: Num Divo Josepho cognita fuerit sanctissimæ sponsæ suæ immaculata conceptio?

XVI. DECEMBRIS.

B. Theophania, deinde Imperatrix, cum se è sterili conjugio per preces ad Deiparam suas impetratam à Matre intellexit, peculiari semper studio in id incubuit, ut vitam, quam à Maria accepit, ejusdem honori consecraret. Indignè se victuram rata, nisi vitæ sospitatrici grata vixisset. Nad. Gratitude est novi beneficii impetratio.

B. Theophania ora pro me Deiparam, ut innumera ejus in me collata beneficia & agnoscam, & gratus recolam; nec mihi cesset benedicere, sed, quæ est benedicta inter mulieres, per benedictum fructum ventris sui, me quoque faciat à se esse benedictum. O Sanctissima Dei, &c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: hodiernâ die ante solis ortum Deiparam tanquam auroram, solem Christum parituram, salutare conabor.

Habet Maria cum oliva, quod fiat lucis materia, recreet lassitudinem, relaxet laborem, caput exhilaret, & ad certamina opem ferat. *S. Greg. Nyss. hom. 5. in cant.*

Quæstio : An Christus in utero Virginis conceptus Dæmonem latuerit? *v. Barr. to. 1. in Ecc. l. 6. c. 7.*

XVII. DECEMBRIS.

S. Furseus sacerdos Deiparæ Virginitatem suâ imitari conatus, eidem templum condidit, ubi de eadem missam legit, & multis ad eam precibus diem egit, sub quibus sæpius abreptus in extasim vidit Deiparam à choro Sanctorum omnium laudibus celebrari. *Mayr. Inchoa nunc, quod æternum factururus es.*

S. Furseus, qui à terrenis abstractus pura è cælo hausisti solatia, horum unicum universis mundi gaudiis præferens, ora pro me Deiparam, ut cor meum terrenorum cupiditate expediam, & omnem affectum eò transferam, ubi tu nunc cum Sanctis & Angelis Deum & Deiparam laudas & benedicis. *O Sanctissima DEI, &c. f. 190.*

Ad quod impetrandum : Cum P. Nunnio S. J. orabo ante cubitum Deiparam, ut sancta mihi dormienti somnia immittat, ut sic eam etiam in somno amem.

Cum multa nobis bona, quæ nullius ord-